



Ioannes natus est Bischoffsheimij ad Tuberum flumen Francie Orientalis oppido, ditionis Archiepiscopi Moguntini, anno circiter 1499. patrem habuit Georgium, matrem Christinam, mediocris fortunae homines. Horum suasu in patria prima literarum rudimenta didicit, atque postea a Martino Golio Decano Aschaffenburgense, cognato suo, Erdfordiam missus fuit. In eo loco cum artibus aliquantibus incubuisse, Ingolstadium abiit, & nobilis aliquot adolescentes priuatim instituit. Inde Monachium uocatus, ludo Poëtico præfectus fuit, in quo nobilium pueri instituebant. Verum cum animus ad maiora respiceret, eam functionem reliquit, & Friburgū Brisgaudiæ concessit. In ea academia denuò priuatos aliquot nobiles erudiendos suscepit. Cum autem ipse facie liberali & mediocri statura conspicuus esset, in Euæ uenustissimæ puellæ, Florentij Hessleri mercatoris filia, notitiam peruenit, & eam uxorem duxit. Cupiebat quidem in eo loco permanere, & publicam aliquam professionem administrare. Verum cum de Lutheranismo suspectus, & quibusdam iniurias suscepit, nihil tale impetrare potuit. Itaque commodè accidit, ut Basileam ad Rhetoricam & Latinæ linguæ professionem uocaretur, anno 1525. Eam uocationem ipse suscepit, & Ciceronis Rhetorica cum Tito Lívio & Quintilianu in ea academia exposuit. Cum etiam in Quintilianum annotationes scripsisset et edidisset, in Typographorum notitiā peruenit, atque h̄s ob insignem eruditionem gratissimus fuit. Tum etiam Iustini historiam & Prudentij carmen restituit, & ut idem in alijs authoribus faceret, a uiris doctis admonitus fuit. Id ut commodius faceret, a Ferdinandu tum Archiduce Austriae Diploma impetravit, ad omnes Ecclesiarum sue ditionis Bibliothecas perscrutandas, quod quidem is gnauiter præstítit, & literarum studia plurimum adiuuít. Incidit tum forte in Codicem Theodosianum, a multis iam seculis desideratum. itaque eum primus edidit, & Ferdinandu, ut se gratum declararet, inscripsit. Hinc factum ut Erasmo, Glareano, & alijs uiris doctissimis, tum Basileæ degentibus, familiariter notus fuerit.